

milia pecora emunt, & maectant, ut post alios monet *Matth. Berlich. part. 5. conclus. 45. n. 20.* Imò *Natt. cons. 436.* in facti contingentia consuluit, quod emptor etiam absq; pretio teneatur ad restitutionem, etiamsi ab initio protestetur, se rem illam emere, ut eam vero domino restituat. Hinc quæri solet; si milites per loca non hostilia transeuntes aliquid per vim rusticis auferant, & ablatum aliis, & quidem scientibus, modico accepto pretio, dividant, quod, si emptum non fuisset, vel certò consumpsissent, aut ad loca, ubi nulla, vel difficilis recuperatio, adportassent; num emptor rem ita emptam absq; pretio vero domino restituere teneatur? Si emptor eo animo emat, ut ita acquisitam vero domino restituat, pro emptore pugnabimus, idq; propter textum in *l. 6. ff. de capt. & postl. revers.* cuius ratio in *l. 12. §. 12. eod.* proponitur, & est, quod emptor hoc casu intelligatur utiliter gessisse negotium domini, cum ut res ad verum dominum, dato modico pretio, vicissim perveniat, efficiat. Optimus quoque textus est, quem *Gratianus D. Ambrosio* tribuit in *c. rapinam, 14. q. 5.* Rapinam, inquit, emere non licet, nisi eâ intentione, ut, cui est ablata, restituatur, ex quo patet licere, ut quis rem furtivam à fure emat, eo animo, ut domino restituat, cum alioqui fur cum re longè fugeret, nec dominus eam habere posset. Re igitur utiliter gestâ iniquum erit, ut emptor pretium amittat, domino rem ipsam evincente. Et ita *Facultas Juridica Academiae Rinthelensis, 8. Octobris, Anno 1623. S. R. respondit.* Conferendi *Hostien. tit. de pœnit. quid de præd. ement. Didac. Covarr. tom. 1. resol. par. 3. num. fin. Tiber. Decian. tract. crim. lib. 9. c. 29. num. 28. vol. 2.* Quid verò dicendum, fure ad mortem damnato, an nihilominus res furtiva erit restituenda? Vide pro & contra *Dd. allegatos à Zieritz. hic, c. 219. verb. fur cum re furtivâ.*

ARTICULUS CCVIII.

Restitutio Rei furtivæ.

Consule tradita à *Zieritz. Steph. hic,* & ut ad

ARTICULUM CCIX.

Restitutio rei litigiosa mediante juramento.

ARTICULUS CCX.

Rei furtivæ usucapio nulla.

ARTICULUS CCXI.

Cautio super re litigiosâ.

ARTICULUS CCXII.

Rei furtivæ apud furem, raptæ apud raptorem deprehensio.

ARTICULUS CCXIII.

Rei furtivæ aut raptæ indicia.

ARTICULUS CCXIV.

Impensarum restitutio mediocris.

ARTI-